

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5045

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Geoffroy, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1150, 15 décembre

Lieu d'émission : Ferentino

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Eugène [III] prend l'abbaye du Mont-Saint-Michel sous sa protection et confirme les biens de l'abbaye ainsi que son droit de la libre élection de l'abbé.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 60, p. 135-137.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2e éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 9424, t. 2, p. 69.

Texte établi d'après a

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Gaufrido abbati ecclesie Montis sancti Michaelis de Periculo maris eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Pie postulatio uoluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata uires indubitanter assumat. Quocirca, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et legitime possidet aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: uillam, quae uocatur Geucem, cum ecclesia ipsius uille et cum pertinentiis suis, ecclesiam de Ardeuon cum ipsa uilla et cum pertinentiis suis, uillam, quae Crux dicitur, cum pertinentiis suis, capellam Hamelun cum pertinenciis suis, ecclesiam sancti Paterni cum uilla ipsa et pertinenciis suis, ecclesiam de Fulchere uilla cum ipsa uilla et pertinenciis suis, uillam de Euentot, uillam sancti Clementis in Gerseyo cum pertinenciis suis, quicquid habetis in insula, que uocatur Guernesey, ecclesiam de Quarterai cum pertinenciis suis, uillam, que uocatur Dominus Iohannes, cum ecclesia eiusdem uille et pertinenciis suis, uillam, que dicitur Bretheuilla, cum ecclesia ipsius uille et pertinenciis suis, uillam, que dicitur Verson, cum pertinenciis suis, ecclesiam de Eureceyo cum pertinenciis suis, uillam, quae dicitur Villameis, cum ecclesia ipsius et pertinenciis suis, ecclesiam de Liuare cum pertinenciis suis, Villarenton,

ecclesiam de Montanai cum pertinenciis suis, ecclesiam sancti Victurii in suburbio Cenomannis cum burgo ipsius suburbii et pertinenciis suis, in eodem suburbio ecclesiam sancti Iohannis cum pertinenciis suis, uillam, que dicitur Gohere, cum ecclesia eius et pertinenciis suis, uillam, que dicitur Polleium, de feudo Odonis Borelli cum ecclesia ipsius et pertinentiis suis, uillam, que dicitur Montrouault, cum pertinenciis suis, ecclesiam sancti Broeladii cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Melorii cum pertinenciis suis, ecclesiam sancti Michaelis de Cornubia cum pertinenciis suis, uillam, que dicitur Otritonia, cum pertinenciis suis, Wiscunban, Basingas, Bodelai, Estoleiam cum pertinenciis suis, ecclesiam de Mertoch cum pertinenciis suis. Obeunte uero te nunc eiusdem loci abbate uel tuorum quolibet successorum nullus in predicta ecclesia qualibet surreptionis astutia seu uiolentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu uel pars fratum consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam prouiderint eligendum, salua Abrincensis episcopi canonica iustitia. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua apostolice sedis auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertio commonita, nisi presumptionem suam satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

R. Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Imarus Tusculanensis episcopus ss.

† Ego Nicolaus Albanensis episcopus ss.

† Ego Hubaldus presb. card. tit. sancte Praxedis ss.

† Ego Nicolaus presb. card. tit. sancti Cyriaci ss.

† Ego Iulius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Iordanus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Otto diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum ss.

† Ego Octauianus diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Gregorius diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Astaldus diac. card. sancti Eustachii ss.

† Ego Iacintus diac. card. sancte Marie in Cosmidin ss.

† Ego Iohannes diac. card. sanctorum Sergii et Bachi ss.

Dat. Ferentini per manum Mariniani sancte Romane ecclesie scriptoris XVIII^o kal. ianuarii, indictione XIII^{II}, incarnationis dominice anno MCL^o, pontificatus uero domni Eugenii pape III anno VI.